

## **Dissertatio medica inauguralis de variola ... / [Robert Jameson].**

### **Contributors**

Jameson, Robert, 1774-1854.  
University of Edinburgh.

### **Publication/Creation**

Edinburgi : Balfour et Smellie, 1774.

### **Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/amqund2m>

### **License and attribution**

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>

3

DISSERTATIO MEDICA  
INAUGURALIS,  
DE  
VARIOLA.

QUAM,  
ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,

GULIELMI ROBERTSON, SS. T.P.  
ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NEC NON

Amplissimi SENATUS ACADEMICI consensu,

Et nobilissimæ FACULTATIS MEDICÆ decreto;

PRO GRADU DOCTORATUS,  
SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS ET PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

Eruditorum examini subijcit


ROBERTUS JAMESON,  
BRITANNUS.

Ad diem 13. Junii, hora locoque solitis.

EDINBURGI:  
Apud BALFOUR et SMELLIE,  
Academiae Typographos.

---

M,DCC,LXXIV.





JACOBO VEITCH AB ELLIOCK,

A R M I G E R O;

In curia civili apud Scotos suprema,

Ex XV Judicibus,

Viro justitiae amore, literis,

Et humanitate insigni,

Hoc opusculum,

D. D. C. q.

A U C T O R.



ARMIGEROS

In curia civili apud, Sectos supremos

Ex XV Judicibus

Vno iustitie antea, Jicis

Et humanitate indigni

Hoc opusculum

D. D. C. p.

AUCTOR

# DISSERTATIO MEDICA,

D E

V A R I O L A.

D E F I N I T I O.

“**V**ARIOLA” est “synocha contagiosa cum vomitu, et epigastrio pressio dolore. In ea, tertio die incipit et quinto finitur eruptio papularum phlegmonodearum, quae spatio octo dierum in suppurationem et crustas demum abeunt, cicatricibus depressis seu foveolis in cute saepe relictis.”

HISTORIA SYMPTOMATUM.

Sive praesens eorum vehementia, sive finis spectatur, duplex symptomatum facies est. Altera

A

dis



discreta, altera confluens, vulgo dici solet, et varietates appellandae sunt. Utramque suo ordine, ita ut constantiora symptomata sola comprehendantur, percurremus.

In tria tempora, ut ex definitione patebit, symptomata dividenda sunt. Primum est ab initio morbi ad exitum papularum; alterum ab hoc ad earundem consummationem, seu statum earum inflammatorium finitum; tertium hinc ad morbi finem. Horum temporum ratione habita, utriusque ordinis symptomata exponemus.

#### DISCRETÆ VARIOLÆ.

Primi temporis symptomata sunt, languor, lassitudo, frigoris, cum calore alternatio; pulsus frequentes, capitis, tergi, et lumborum dolores, cum vomitu nausea, anxietas, et circa praecordia gravitas, scrobiculus cordis tactu dolens; in adultis plus minusve sudoris; in infantibus et teneris natu pueris, convulsiones.

Ad secundum tempus, pertinent papulae phlegmonodeae \*, seu “ maculae rubrae, acuminatae,”

\* Cul. defin. gen. morb. G. 25.



tae \*,” tertio die exeuntes, initio rariores, et vultum, mentum, et pectus occupantes, paulatim per reliquum corpus crescentes, et quinto demum die exire desinentes. Hoc tempore, febris et reliqua symptomata aut remittunt aut desinunt.

Quorum in loco magis minusve jam guttur dolere incipit. Cujus doloris, pro numero pustularum et inflammationis mensura, magnitudo est. Biduo, quo haec fiunt, cutis, primumque vultus, et praecipue palpebrae, dein manus, postremo pedes, cum tumore inflammantur.

Quod ad tertium tempus attinet, post quintum diem papulae, magnitudine usque ad septimum crescentes, ab hoc ad nonum fere halitum habent ad puris naturam paulatim inclinantem. A nono die ad undecimum circiter, pustulae, quae hactenus albae fuerant, flavescere primum, dein fuscum colorem acquirere, et simul exsiccari, incipiunt. Id primum in vultu, dein in reliquo corpore fit. Hoc potissimum tempore justum pus gignitur. Sub quartum decimum diem, tumor praecipue, et primum vultus, dein manuum, crurum, et pedum, subsidit, et mutatae in crustas pustulae eodem tenore abscedunt. Haec variolae dif-

\* Sauv. sp. 2. G. Variol.



discretæ, omiffis quibusdam minus proprie ad eam attinentibus, symptomata fere funt. Et ejusmodi, vel etiam multo mitior, plerumque est variola infitiva, ubi recte administratur. Materia variolosa ejusdem generis hic ubique est, nisi quod in verrucosa nullam pustulæ capiunt.

### VARIOLÆ CONFLUENTES.

Symptomata variolæ confluentis non solum vehementiora, quam discretæ, sunt; sed nova quædam, a prioribus diversa, superadduntur.

Cujusmodi in primo tempore sunt diarrhoea papularum exitui præcedens, item febris multum \*, sitis magna, cutis subtumida, fractum robur.

Secundo tempore non symptomata, non febris, remittunt. Citius solito pustulæ, sæpe secundo die, interdum tamen cum vehementia dolorum, ut lateris pleuriticum, aut lumbi nephriticum, referentium, non ante quintum aut sextum exeunt †. Nec, intervallis interpositis, dissident, sed varie in unum coalescunt ‡. Ita, erysipelatis aut rubeo-

\* Sauv. sp. 10.

† Sauv. sp. 9.

‡ Id. sp. 10.



rubeolae instar, interdum confluunt \*. Interdum, crySTALLORUM more, plures coalitae, vesiculam fero turgidam efformant; hinc crySTALLINAE nominantur: Alias pustulae inter se cohaerentes unum in vultu aequale planum, intervalla miliaribus punctis fere occupantibus, constituunt †. Alias non tam confluunt, quam inter se corymborum more; densantur ita, ut spatia, his quasi corymbis interposita, pustulis destituantur. Qui concursus variola corymbosa adpellata est ‡. Est quoque ubi nigrae pustulae sunt, et incisae cruorem fundunt; ubi urina et aliae excretiones cruentae sunt ||. Ut materiam discretas variolae ejusdem generis esse, excepta verrucosa, supra est dictum; ita confluentis duo materiae genera sunt, crySTALLINA et CRUENTA. CrySTALLINA est tenuis et pallida aqua, quam capiens pustula quoddammodo tralucet. In cruento casu pustulae nigrescente sanguine, qualem cutis forcipe pressa repraesentat, replentur. Denique, confluenti variolae commune fere est, ut pustulae depressae inter se, praecipue in vultu, jungantur, isque citius magisque quam in discreta intumescat.

Ut

\* Sp. 11.

† Sp. 13.

‡ Syd. p. 124.

|| Helvetii 213. Variola haematodes vel scorbutica, Mead, Syd. Variolas ann. 1674.



Ut ad tertium tempus transeam; eadem septimo vel octavo die aliquantulum albescunt, et intra triduum vel quatuor dies paulatim in altam flavedinem vel atram fuscedinem, atque etiam interdum nigredinem, commutantur. Unoque verbo, quo peior morbus est, eo nigriores pustulae fiunt, et serius exsiccatae decidunt. Secundo morbi tempore, interdum protinus cum pustulis primum exeuntibus, saepius non ante unum aut alterum diem postea, salivae primum tenuis et copiosae exspuatae profluvium est. Quae circa decimum diem, vel aliquando etiam maturius, viscida et lenta adeo aegre rejicitur, ut suffocationem interdum minitetur. Hanc subito suppressam raucedo fere, devorandi difficultas, fitis et stupor, biduoque aut triduo non restitutam, plerumque mors, subsequuntur. Ut salivae motus adultos, ita aetatem puerilem, sed non tam cito ac illud, alvi profluvium invadit, et ad finem morbi permanet.

#### QUALES VARIOLÆ MOTUS SINT.

Variolam in tria tempora dividi supra dictum est. Sed hic haud alienum videtur totum morbum suis motibus tertiana tempora referre, sub-  
jicere.



jicere. Ita primum tempus, febris pustulis praecuntum proprium, tertianum est, et quam proxime ad xlviii horarum spatium accedit. Alterum, scilicet a iii die ad v in pustulas educendas, tertium in harum inflammationem perficiendam, nempe a v ad vii diem, absumitur; biduo hinc deinceps a vii ad ix diem vesiculae, halitum jam capientes, et in summis foveas habentes, efformantur. Proximo biduo pus componens tumor effunditur. Quod quidem die post febris initium undecimo, post pustularum exitum octavo, fieri solet.

Hi motus in discreta variola constantissimi; in confluyente, turbatis naturae viribus, varie mutantur.

#### QUIBUS REBUS PRÆCIPUE INTER SE DIFFERANT VARIETATES.

Varietates inter se distinguit primum pustularum figura. Quae in discreta variola ordine aequalis et circularis, circuloque circumscripta, est; in confluyente, ordinis expers, et non circularis, non circulo circumscripta. Distinguit item febris: Quae in discreta, licet saepe magna sit, simplex tamen synocha est; in confluyente semper mag-



magna est, post pustularum exitum, et toto supurationis tempore perdurat, et manifesto putridae saepe naturae est. Alterum discrimen dat suppurationis: Quae in discreta ex pure puro, et, ut videtur, miti constat; in confluyente nunquam mitis est, nunquam puris crassitudinem induit; contra, perquam acris est, et ad putridam naturam vicina. Postremum, et, ni fallor, maximum omnium discrimen praebet pustularum numerus: Qui in discreta plerumque exiguus, in confluyente semper magnus. Quod quidem discrimen reliquorum omnium, ut suo loco dicetur, causa esse videtur.

#### M O R B I F I N I U M.

Variola et bonum et malum exitum, soluta ipsa, trahit. Bonum, quod interdum tumores glandulares, in oculos et aures distillationes, artuum cum imbecillitate dolores, et menstrua impedita tollit, et secundiorem valetudinem stabilioremque praestat. Malum vero, quia interdum valetudini nocet, affectus pulmonicos, febrem hecticam, excitat, defluxionesque et opacas oculis maculas, et varie caecitatem, inducit. Estque ubi artuum extremorum paralyfin creavit.

QUOS



## QUOS POTISSIMUM VARIOLA ET QUOTIES AFFICIAT.

Variola pueros saepissime petit; ita tamen ut nulla postea aetas tuta ab ea sit, et longe maxima pars mortalium eam patiatur. Quin et a matre ad partum in utero transmitti potest; neque defunt testimonia, partum, cum totos graviditatis menses mater libera a morbo fuisset, tamen eo affectum in lucem exiisse. Semel tantum vitae spatio eundem hominem petit: Nam, quod nonnulli bis eam subiisse dicti sunt, ea testimonia minus ponderis habere debent, quod et pauca et levia sunt, et gravissimorum plurimorumque auctorum certissimae fidei contra opponuntur. Quod si nonnulli, aegrotantibus operam dantes, et, ut nutrices, propiori contactui objecti, paucas pustulas accipiunt, eae non variolam, sed localem et levem adfectum, ac vix quidem morbum, constituunt.

## O R I G O.

Variola temporibus crucis expeditionum, Crusades vulgo dictarum, ex Asia in Europam reportata est, in Americam tum translata, cum

B

Ferdi-



Ferdinandus Cortes Peruvium debellavit. Altior-  
rem ejus, aeque ac Nili originem, persequi vanum  
foret.

## N O S O L O G I A.

Sauvagesius variolam ad primum tertiae classis  
ordinem, sed nullo, ut mihi videtur, consilio retulit.  
Primum enim multo plus inter se commune ha-  
bent exanthemata cum prima classe, nempe feбри-  
um, quam cum phlegmasiis: Quippe enim inter  
exanthemata et febres nihil aliud interest, quam  
quod illa “phlegmonas plerumque plures exiguas  
per cutem dispersas,” a propria contagione ortas,  
habent; cum febris, a communi contagione nascens,  
iis phlegmonis careat. Dein hoc porro erravit,  
quod phlegmasiae, seu pyrexiae inflammatoriae,  
contagionis expertes, male cum exanthematis, seu  
morbis quidem saepe inflammatoriis, sed a contagio-  
ne oriundis, conjunguntur. In illis inflammatio par-  
tis, affectum corpori communem, seu pyrexiam,  
sola concitat: In his inflammatio cutis, quaecun-  
que ea est, non pyrexiae, non morbi causa, sed e  
contrario effectus est. Quod, si utrumque hunc  
morborum ordinem, quia febrilis uterque est,  
conjunxit, perparum fecit, alios morbos, ac totos  
quidem



quidem ordines, inde separando. Cujusmodi sunt hinc febres, de quibus dictum, hinc fluxuum ejus multi, ii scilicet omnes, qui cum pyrexia sunt. Est hic error classicus. Meliorque multo classis fuisset talis, qualem optimus noster praeceptor constituit. Qua in re huic scriptorum longe plerique assentire videntur, et prae caeteris Hoffmannus tacite, reliquis ad hanc classem pertinentibus subjiciens.

Erravit et in ordine constituendo; nam, ut alia eo comprehensa genera omittam, certe variolae cum ordinis definitione natura non convenit; cujus “pyrexiam saepius malignam” quis dixerit? Est fynocha, ut, supra definientes, diximus. Quod, si in pravam malamque naturam morbus haud raro mutatur, ea infelicitas aut malae curationi, aut alicui habitus aegrotantis vitio, maximeque statui cutis, materiam morbosam detinenti, tribuenda est. Erravit idem vir egregius, ut ubique fere, pro speciebus recipiendo quae species minime sunt. Ita prima apud eum adeo species non est, ut five causam ejus, five curationem, seu, quod nosologi maxime refert, characterem nosologicum spectes, diversus ab hoc genere prorsus sit affectus. Et, ob similem causam, a secunda ejus specie is affectus rejiciendus manifesto est, qui



qui Anglis *chicken-pox*, Scotis *horn-pox*, vulgo appellatur. Tertia species Sauvagesiana aut complicatio est, ut Helvetius, unde istum casum ille accepit, judicasse videtur. Estque certe, si pyrexia tertiana remittens est; aut anomala symptomata, praecipue si quid hic miliare est, possunt omnia a mala, et maxime quae olim invaluit, calida administratione, deduci. Certe nihil hic funditus a discreta variola differt, si, ut Sauvagesius ipse fatetur, pustulae neque subsidunt, neque pravi moris sunt. Quarta species, quam ille hujus varietatem facit, est discreta variola, ubi cruentum alvi profluvium “calidiori regimini,” quae verba ipsius nosologi sunt, imputandum est. Quatuor reliqui casus, varietates ab illo tertiae speciei constitutae, ad variolam discretam male curatam, aut per calorem in malam miliarem aut petechialem faciem versam, referendi sunt. Adeoque nullus hic speciebus locus relinquitur, ut ne unam quidem speciem illa casuum varietas praebeat. Quam quidem varietatem *discretam*, cum illustri praeceptore nostro, cujus nosologiam prae caeteris sumus secuti, nominandam judicamus.

Altera datur varietas, quam in quinque species diduxit Sauvagesius. Quarum primam, quae apud illum nona est, ille a reliquis quatuor, ut minus



nus iis *malignam*, sed male, separavit ; quoniam, si eadem funditus natura est, differentia magnitudinis non facit speciem. Casus igitur hic memorati alteram tantum varietatem constituunt. Adeoque, cum illustri praeceptore nostro Culleno variolam, rejectis speciebus, tantummodo dupliciter, prout discreta, aut prout confluens sit, variare est credendum. Qui vero casus ad hoc vel illud caput magis aut minus redeant, ex ejusdem viri illustris nosologia \* petendum.

### NOSOLOGIA RATIONALIS.

In summum igitur, adeo non tot hujus morbi species sunt, quot Sauvagesius, suo more complicationes, differentias magnitudinis, symptomata aliena, in species ubique discindendi, et sic vera et utilia morborum discrimina perturbandi, fecit, ut tantummodo unum morbi genus, ideoque una sola species, sit. Et quidni? Speciem enim, quae perpetua et constans est, ut e botanicis exemplum sumatur, solam facere potest feminis differentia, quae pariter in plantis perpetua  
et

\* Cul. gen. morb. G. 25.



et constans est. Ideoque, dato femine, ut in plantis eadem semper planta gignitur, ita, dato in morbis principio, idem subnascetur morbus; exempli ergo, si in aliis regionibus, aliis sub coelis, et aliter cultae, ex iisdem feminibus, aliae progigni plantae videantur; cave tamen credas, quod aliud videtur, id revera et sua altiore natura necessario aliud esse. Est tantummodo variantia causis, seu casibus jam memoratis, tribuenda; quibus sublatis, ex iisdem ortae feminibus eadem plantae omni ex parte erunt. Simili modo, ut idem ad nosologiam exemplum deducatur, casus morborum eodem principio seu causa remota, quasi femine, orti, licet aliis in locis aut temporibus, aliis in hominibus, quasi solo, et aliter curati, alii esse videantur, non ideo alii sunt, aut in diversas species discedunt. Sublatis enim iis rebus, quae ut idem morbus diversas larvas induat efficiunt, idem is apparebit. Cum igitur nullum hic morborum naturae discrimen subfit, et symptomatum quicquid est discriminis, id omne non certae causae, sed incertis casibus, acceptum referendum sit; ideo nec certa differentia, seu certa aut constans specierum diversitas, ulla erit. Quae quidem huius rei consideratio ad utilem in curationibus usum ducit. Nam, si ut plantis, quae eadem funditus



ditus sunt, vitiosam variantiam res seu casus relativi inferunt, correctio casuum id vitii, seu varietatem pravam corrigit; ita casuum, qui morbos in pravam varietatem vertunt, correctio huic certe occurret. Inde, ut ad propositum nostrum exemplum deducatur, quantum artis salutiferae referat, ut cum alii quidem morbi contagiosi, quales pestis et rubeola forsitan sunt, tum, sicut experimenta certa docuerunt, variola, vitiosae varietatis causis in casibus memoratis consistentibus, vitatis aut correctis, ad mitem et blandam illam, quae contagionem, quasi semen suum, sequitur, reducatur, facile intellectu est. Casus autem, qui sic vitandi aut corrigendi sunt, et sic mala hunc morbum natura imbuunt, sunt

Primum quorundam corporum aut habituum proprietates. Ita, ut praeclari viri verbis utar \*,

‘ Major ergo, vel minor morbi malignitas non a  
 ‘ majore vel minore virulentia contagii pendet, sed  
 ‘ potius a varia dispositione corporis cui contagium  
 ‘ applicatur. Confluentium variolarum ichor multum differre videtur a pure variolarum discretarum et benignarum; attamen experimenta docuerunt, ichorem confluentium et quidem leth-

‘ tha-

\* Van. Swiet. vol. 5. p. 30.



‘ thalium, applicatum vulneri, produxisse mites et  
‘ benignas variolas ; e contra, mitissimarum vario-  
‘ larum contagium quandoque produxit omnium  
‘ pessimos quos vidi unquam.’ Non hujus loci est,  
in quo corporis statu proprietates istae consistant,  
explicare. Satisque in praesentia est dixisse, ta-  
lem statum, quicumque is sit, quasi solum planta-  
rum, contagionis, quasi seminis, effectum pessum  
dare.

Alia res, prava morbi symptomata procreans,  
et coelum sub quo plantae succrescunt quasi re-  
ferens, coeli calor reperitur.

Alia pravae varietatis origo est mala, praeci-  
pue in calore aegrotantibus circumjecto consistens,  
administratio. Quae quidem malam plantarum  
culturam apte referre dicenda est.

Quam rem utramque esse pravae varietatis ini-  
tium, seu potestatem nocentem, mille nunc ex-  
empla et experientia perpetua demonstrant. Hinc  
rebus stimulantibus, et prae caeteris calore, tracta-  
ta variola, ut alexipharmacae curationis cum in  
aliis morbis, cum vel maxime in hoc, primum a  
magno et sagace viro Sydenhamo sublatae, perpe-  
tuus usus argumento est, in teterrimam naturam  
degeneravit. Et, ex contraria, scilicet adhibito  
potissimum frigore, curatione, quam mitem et  
placi-



placidam faciem idem morbus ubique fere affumat, infitionis seu inoculationis usus demonstrat. Quid enim potest clarius aut luculentius, unam tantum variolae speciem declarare, quam perpetua ei per infitionem medendi fere felicitas; ubi vix singulos e millenis perire morbo exploratum est, cum, ante salutarem hanc rationem repertam, vix e septenis singuli ad salutem reducti sint? Quo magis magni viri Sauvagesii imprudentiam miror, qui cum hoc non ignoraret, et perniciosas morbi species, quas habuit, infitione prorsus tolli videret; tamen et species, et suo more quamplurimas, constituendas putavit. Quin quam plurimum exoptandum est, ut, sicut variolae, sic quoque pestis et rubeolae, tali aliqua ratione varietas vitiosa succidi penitus possit.

### CAUSA REMOTA, ET MORBI NATURA.

Definitione, symptomatis, et nosologia hujus morbi expositis; in originem et naturam ejus inquirere proximum est. Primum autem, ut quae sit causa remota ejus, inquiratur:

Ea contagio propria est, et omnium contagionum, siquae sunt, propriarum, maxime manifesta.



Propriam contagionem esse, hoc apparet, quod omni in regione, et omni sub coelo, eundem morbum facit. Ut adeo dubium esse nequeat, quin, quod eundem semper effectum trahat, id idem semper subfit. Licet vero haec contagio eundem morbum genere tenus semper efficiat, ita, ut ne diversae quidem species ex ea origine sint; tamen in varietatum, supra memoratarum, causam opus inquisito est.

#### V A R I E T A T U M C A U S A.

Quamvis haec contagio propria est, fieri tamen potest, ut suae potentiae magnitudine variet. Idque revera fit. Sed varietates morbi inde non oriuntur. Quod adeo nobis fortunatum est; quoniam, si sic varietates orirentur, nihil in medici manu esset. Non autem multum in contagionis varia efficacia esse, utile est credere; ne id quod corrigi nequit, pro causa apprehendens medens, corrigenda, in melius mutanda, ac facile in sua potestate posita, negligat. Varietates variolae non ex contagione pendere fidem haec faciunt. Primum, postquam eadem materia, et iisdem prorsus sub rebus, plures sunt infecti, in alio alius morbus fit.



fit. Atque etiam, ubi ea varietas minima est, scilicet in variola infitiva, ibi tamen incidit, et saepe infitionem pessima variola sequuta est. Deinde, si ea materia, quae ex bono casu tracta sit, pro bona, quae vero ex contrario pro mala, habenda est; ne, hoc quidem dato, argumentum melius procedit. Si quidem, dempta ex confluyente variola materia, optimus, ex discreta et miti, pessimus morbus, multos excepit excipitque quotidie. Cum igitur non in materiae, ideoque contagionis differentia, res consistat,

#### QUIBUS IN REBUS CONSISTAT,

Deinceps est dicendum. Variolam inter se diffidere, primum pustularum figura, dein febris, tum suppurationis natura, postremo, et maxime omnium, pustularum numero, hancque reliquarum differentiarum originem esse, dictum supra est. Ad hanc igitur rationem hic persequendam, et sic, qua in re a bona mala variolae varietas discrepet, ostendere saltem quodam tenus conandum; primum omnium pustularum numerum a materiae morbificae copia non pendere, sed, quantum quantum intus genitum sit, ejus longe maximam partem



tem cum caeco perspirabili humore corpore penitus emanare, nec ullas pustulas relinquere, recte proponere videor. Quam rem confirmat quod in peste nuper observatum est \*; confirmat duobus hominibus eadem materia infusa et imparem prorsus pustularum numerum procreans; denique res quaedam abundantiae pustularum manifesta origo experimentis certis repertae sunt. Hujusmodi

### PUSTULARUM ORIGO

Sunt calor, emplastra, diathesis phlogistica, caro, et ex hac confecti cibi, porro anni tempus alios inflammatorios morbos adferens, postremo, febris naturam afficientia, qualia metus, frigus, intemperantia, et similia sunt.

Quod ad calorem attinet, infantes, prout hoc aut illud vultus latus in pectus matris aut nutricis forte inclinaverint, ita in eo postea plures pustulas habent †. Et omnibus hoc commune est, ut, quam quisque partem potissimum calori ob-

jecerit,

\* Vid. Chenot, p. 113. et 114. Aph. 4. et cap. de cura pestis.

† Vid. Cul. pract.



jecerit, in eam plures pustulae exeant. Quod quidem calor praestat, impetum in summam cutem magis percitando, quam ut omnis humor libere transire possit.

Emplastra, quibus Sutton iste empiricus educendo pustulas lufit, idem praestiterunt, difficilem humoris, qui exire debebat, transitum reddendo. Hae res cutem respiciunt, et statum ejus esse pustularum numeri causam, eoque modo, quo explicatum est, ostendunt. Sed aliae, minus cum cute conjunctae, numerum pustularum adaugent. Ex his primum memoranda

Diatheſis inflammatoria est. Hinc adulti, quam pueri, et plures pustulas fortiuntur, et in majore periculo versantur. Hinc quoque longe plures illorum, quam horum, in confluentem variolam implicantur\*.

Eodem fere pertinet carnis et ex hac paratorum ciborum effectus. Hinc quoque puero-  
rum, qui minus, quam adultorum qui magis, hoc cibi genere utuntur, minus quoque periculi. Is autem effectus, in corpore implendo et diatheſi inflammatoriae objiciendo, consistit. Quo fit, ut etiam pueris, ne inde sic afficiantur, tali cibo-  
rum

\* Cul. pract.



rum genere interdicantur. Quantum autem diathesis inflammatoria noceat, hoc apparet, quod anni tempora, alios morbos in inflammatione consistentes gignentia, et frequentiorem variolam et faeviozem edunt.

Haec omnia febrem afficiendo, et modum ejus flectendo, ad multitudinem pustularum, eoque faeviozem morbum, dandum pertinent. Sed et alia eodem modo idem efficiunt.

Ejusmodi sunt metus, frigus, intemperantia libidinum. Quae quo modo febrilem et alias contagiones augeant, neminem rei medicae paulo peritiozem latet; et, prae caeteris, in typho et peste diram stragem edunt. Id autem, febrem adficiendo, faciunt; quoniam pustularum numerum recta augere vix concipi possunt. Febrem autem debilitando, eamque in typhodem naturam mutando, afficere videntur. De frigore hic, ut potestate nocente, non prout pustulis admoveatur, quippe quibus, ut mox dicetur, optimo remedio sit, sed de maturiore et immodica ejus actione, verba facio. Quae debilitando et sedando nocet; cum adversus pustulas inflammatas adhibitum frigus, refrigerando, inflammationi moderando, perspirationem juvando, et sic pustula-



stularum numerum imminuendo, mirum in modum profit.

Quibus in rebus varietates morbi differant, et quae pustularum origo sit, jam commonstrato, qua in re Cullenianas rationes secuti sumus; quae deinceps

### CAUSA PROXIMA

Sit, quatenus innotuit, paucis exponendum est. Contagio sanguine recepta, huncque fermentatione quadam in suam vertens naturam, totum quidem, ut supra est dictum, mutat. Ea mutatio in actione quadam, quam in genere nervoso, contagio edit, consistit; si quidem, quorum sanguis hanc mutationem semel subierit, is eam nunquam deinde subit. Quod aliter nisi per actionem in nervoso genere, ut quod solum diuturnos affectus recipit, fieri non potest. Et absque hac esset, sanguis, qui brevi tempore universus renovatur, cito ad pristinam naturam rediens, alii mutationi foret opportunus.

Ideoque est ratio quaedam inter contagionem et genus nervosum, contagionis effectum recipiens; quae cum primo protinus effectu perit. Quae dicta



dicta utrique varietati variolae pariter conveniunt. Et, quatenus contagio unum morbi genus aut speciem unam edit, propria seu specifica, ut vulgo dicitur, unaque et eadem est. Neque, si varietatem spectes, sua natura, sed ratione quam erga statum nervosum habet, ullo modo discrepat. Eamque rationem variant res supra dictae, numerum pustularum variantes; unde, quod supra dictum est, morbum funditus eundem esse, una specie consistere et ex una contagione oriri, clare patebit. Porro, quod jam quoque dictum est, si morbus et causa ejus eadem sunt, et si fermentatione contagio agit, eandem materiae copiam semper intus gigni sequetur. Quod autem pustulae plures aut minores numero sunt, id fit, quia materia celerius ad cutis foramina rapitur, quam ut omnis iis libere transeat: Hinc pars, transeundo impedita haerensque, subsistit, et in pustulas formandas absumitur. Hanc rationem, ante memoratam, multarum in cutem eruptionum ratio illustrat. Eae fieri videntur, quod sudor, eas comitari solitus, crassior perspirabili caeco humor, plures eo particulas salinas perfert. Quo fit, ut hujusmodi materia transiens sub cuticula impediatur, et varias formet eruptiones. Hinc tales in tot hominibus sudorem comitantur.



tantur. Eadem haec ratio, ut alias, ita pustulas variolosas, apte explicare videtur.

Hic requiri porro posset, quomodo eadem ratio, praeter pustularum numerum, alia symptomata explanet; scilicet, quomodo res supra dictae, febris modum mutando, materiae effectum quoque mutant, et circulari inflammationi, discretam variolam a confluyente distinguenti, occurrant; aut quare quoque modo ipsam materiam in suppurationem minus quam putredinem convertant? Ad haec quod respondeam nihil habeo; nisi quod ita se rem habere iterum adfirmem.

### JUDICIUM EVENTUS.

Quae supra dicta de morbi varietatibus sunt, qualis eventus sperandus sit, haud ambigue submonstrabunt. De quo iudicio, ut pauca tamen dicam; primum, quo plures pustulae sint, quo vehementior febris, eo plus periculi, etiam aliqua ex parte in confluyente variola, erit. Item, quod ad curandi rationem attinet, quo plus caloris admittitur, quo magis veste tegitur aegrotans, quo plenior habitus aut phlogisticus magis habet, aut causis debilitantibus, ut metu, frigore, et in-

D

tem-



temperantia, affectus est, eo minore in spe est. Inque summum dicendum est, mala curatione aut malo hominum habitu demptis, raro multum a discreta variola metuendum, et in confluyente vix quicquam boni sperandum. Postremo, naturae in hoc morbo quam minime credendum, quippe quae sic affectorum puerorum binos, adulatorum quaternos, e quibus ad inferos demittat; et ad artem, dempto uno aut altero incommodo, quod, memorandum postmodo, ab ea dehortatur, semper decurrendum est. Ab insitione igitur exordium sumendum.

### INSITIONE CURATIO.

Commoda quae insitio aut praebet aut praebere dicitur, ad VII capita redeunt. 1. Ea sunt materiae delectus. 2. Ejusdem exiguum insinuatum. 3. Hominis delectus. 4. Anni tempus. 5. Causae accessoriae vitandae. 6. Ægrotaturi praeparatio. 7. Frigus aëris. Haec commoda magis aut minus, ut fusior sermo ostendet, reperientur. Ut à primo incipiam :

MA-



## MATERIÆ DELECTUS

Nullum paulo memorabilius commodum prae-  
bet; quippe quam eandem funditus esse, et ca-  
sibus tantum differre, fusius supra dictum est. Hic  
vero objici contra potest, licet id ita sit, tamen,  
postquam materia casu sic variaverit, eam alii  
corpori noxae esse posse, eoque magis, quod ma-  
nifeste saepe putridae naturae sit. Quin et, alios  
morbos una cum materia quae cum iis forte  
conjuncta sit, in corpus ea infectum transferri,  
susplicari aliquis potest. Quod ad hoc attinet, a  
morbis alienis cum materia variolosa insinuat  
vix quicquam metuendum esse, satis certa expe-  
rimenta declarant. Quod ad illud spectat; cum  
in corpore, quo a rebus dictis gignitur, ea nihil pro  
causa, ut relatum est, agat; et, e contrario, aut  
mutatum cutis statum, aut mutatam in pejus fe-  
brem, aut calorem aut diathesin inflammatoriam  
sequatur; ita alteri corpori insertam nihil pro  
causa acturam veri simile est. Quam veri simili-  
tudinem etiam certae res confirmant; si quidem,  
ut supra dictum est, e pessima materia lenis et  
discreta, ex optima, confluens variola orta est.

Quibus



Quibus quaestionibus confectis, altera suboritur ;  
utrum e corpore aegrotante recens, an diu servata, materia praestet ? Hic, si rationis similitudo respiceretur, quoniam aliae quoque contagiones febriles recentes, quam vetustae, mitiores sunt, quales typhi et pestis sunt, ut in curia *Old Baillie* nominata, et in peste famosa Massiliensi, visum est ; ita contagionem variolosam recentem mitiorem, veterem acriorem fore, sequeretur. Fieri quidem potest, ut ita aliqua ex parte sit. Et in hanc etiam partem infitores nostri, qui quam maxime recentem materiam, etiam nondum maturam eligunt, inclinant. Verum his auctoribus magni, immo pares, objiciuntur ; qui et infitionis primi inventores fuerunt, scilicet Indi illi Gentoï nominati. Ii totum annum servata in zonis materia, et per occasionem diluta, utuntur. Qui tamen mos potest, ut modo monitum est, et parum bonus esse, et ab aliquibus in illorum curandi ratione commoditatibus tamen pensari. Sed neutram ego in partem litem dijudicare ausim, et experimentis discernendam relinquo ; hoc uno contentus, materiae delectum nihil egregie in utramvis partem referre. Neque

M A-



## MATERIÆ EXIGUITAS

Plus, contra minus, referre videtur. Hic aliquis, copiam posse nocere, si quidem eam in ventriculum cum saliva et in pulmones descendere suspicio est et multi crediderunt; et sic plures pustulas progigni, crediderit. Quam contra opinionem, et res verae et rationes faciunt: Res verae, cum inferendi olim pluribus locis consuetudo, immo plures crustae a puellula forte devoratae, haud plures pustulas, quam praefens mos, ediderint; rationes etiam, utpote cum fermentationis natura communis talem opinionem respuat. Ita, qui, in cerevisia conficienda aut pane pinsendo, fermento *Yeast* adpellato utuntur, ad fermentandum paululum aliquid, aequè ac multo plus, valere, neque nisi in hoc, ut minus tardius, plus celerius, fermentandi opus expediat, discriminis quicquam et utrumvis pariter opus perficere, experiuntur. Si igitur simili ratione fermentatio variolosa procedat, nullum memoria dignius commodum, paululo materiae adhibito, impetrari sequetur.

DE-



## DELECTUS HOMINIS,

Sive aetatem sive valetudinem spectes, ad rem esse creditus est. Quod ad aetatem pertinet, aetas puerilis, id est, ante annum septimum, adultae anteponenda est. Cujus rei causa ea est, quam supra retuli, scilicet, quod illa minus, haec aetas magis, habitui inflammatorio opportuna est; et, ubi nihil alioquin obstat, morbi sponte incidentis periculum, matura infusione, minuitur. Quod ita dico, ut, si quis ad provectiorem aetatem morbi expers pervenerit, quo minus quavis aetate eum arte recipiat, nihil ob stare dicam. Sed in hac re modus est. Nam, licet ante septimum mensem, ad vitandam dentitionem, dandum esse morbum, nuper opinio invaluerit, et sic certissimam vitandae dentitionis spem dari, non sit inficiandum; tamen videndum est, ne, qui sic facit,

Incidat in Scyllam, cupiens vitare Charybdim.

Vitata enim dentitione, incurritur in epilepsiae periculum; cui malo haec aetas prae caeteris opportuna est. Neque, quod una aut altera accessio epileptica, circa morbi initia occurrens, saepe mitem



mitem morbum promittit, ei rei confidentius insistendum est; nam, easdem accessiones, saepius repetentes et diutius permanentes, exitio esse aequè exploratum est. Eorumque puerorum, qui variola extincti sunt, plerosque epilepsia periiisse, versatorum in curationibus virorum testimoniis confirmatum est \*. Alterius mali periculum adeunt qui hac aetate inficiuntur; nam, si forte pustulis nares eorum occludantur, et ipsi bibere nondum didicerint; inter alterutrum duorum malorum, suffocationem fugere luctantes, aut famem, non aliti, prementur. Ergo hominis, quatenus aetatem spectat, delectus ejusmodi est, ut non, nisi peracto lactationis tempore, forsitan, ut inforti Dimisdale et Culleno nostro placet, non ante duos primos annos exactos, dandus morbus videatur.

Ut ad hominis, quatenus valetudo consideratur, delectum transeam; ea res, quantus naturali infitiva variola praestet, ostendit. In illa nemini, quin altero laborantem morbus se petat, et sic plurimum exasperetur, certum esse potest. Haec, eligendi temporis morbo vacui, ideoque vitandi istius periculi, potestatem nobis dat. Estque hoc com-

\* Cul. prael.



commodum sane maximum. Cum autem morbo alteri manifesto hic arte superaddendus non videatur ; ita, ubi aliquis valetudinarius est, aut malum habitum habet, aut latente morbo adfectus est, quid faciendum insitione nostra audendumve sit, proximum est inquirere. Ut de hac re uno verbo dijudicetur, quoniam, quodcunque periculi latens morbus aut habitus vitiosus intentet, decem partibus tutior insitiva quam spontanea variola est ; et hujus periculum unicuique, morbi adhuc experti, omnibus horis imminet ; idcirco, praesertim si per populum morbus grassatur, si, quod metui est, tolli aut corrigi nequeat, periculum faciendum est. Neque hanc rem curationes insitorum non quotidie miris modis confirmant. Unus hujusmodi morbus est, qui insitionem parentibus formidini fuit, nempe scrophula. A qua nihil metuendum esse, et scrophulosos etiam sanis mitiorem variolam fortiri, multa testimonia sunt\*.

### TEMPORIS ANNI DELECTUS

Aliud beneficium quod insitio confert, existimatus est ; et quia modo inflammatoria, modo in  
pu-

\* Vid. Cul. prael.



putredinem proclivis, variola credebatur, adversus illius periculum autumnus, hujus ver, hyemi et aestati anteferri consueverunt. Quae quidem rationes supervacuae eo sunt, quod tanto infitionis bona sunt, ut hujusmodi cautionibus minime sit opus. Et, licet infitores, qui nunc sunt, quoties electio datur, aestatem reliquis temporibus anteponant, idque saltem in Britannia, diebus caniculi vix exceptis, recte facere videantur; tamen et alibi nimius coeli aestus esse potest; et quoniam adeo efficax adversus hunc morbum frigus est, eo minus hyems metuenda est.

#### CAUSÆ NOCENTES VITATÆ,

Cujusmodi metus, Venus nimia intemperantia, quicquid debilitando agit, sunt, quae, ineunte vita dato morbo, solummodo vitari possunt, infitionis in puerili aetate usum summopere commendant. Quae etiam, si quis adultior accepturus arte morbum est, magna ex parte vitari, excepta Venere, possunt. Ita, quoniam quantum spei infitio promittat, neminem latet, tanto magis a metus periculo cavetur. Simili modo ab intemperantia, praecipue vini, aegrotaturi defendi

E

pos-



possunt. Sola Venus, quae nimia, ut pestis plurimum auget periculum, ita et noxae in variola esse credenda est, hic extimescenda est. Cujus indomitum imperium neque in aegrotantibus neque medentis manu esse, magnopere est dolendum.

### PRÆPARATIO CORPORIS,

Ut magnum commodum quod insitio recipit, plurimis laudibus sublata est; cui utique paulo minus, quam consuetum est, si potestates nocentes caventur, tribuendum videtur. Quaedam corpora variolae, quam alia, accommodatiora quidem sunt. Quod quae facit proprietas in temperamento consistit. Quale vero istud temperamentum sit, nondum explicatum est. Et donec explicatum fuerit, frustra id praeparatio corporis, habitu ei simili inducto, imitabitur. Sed non bonum aut malum solum temperamentum est; obest etiam aut prodest habitus, qui sive intellectu sive correctu facilius est. Cumque, ut saepius jam memoratum est, in inflammatione variola consistat, eique imprimis habitus inflammatorius, sive evidens sive latens, noceat; ita contra hunc  
prae-



praeparatio nostra praecipue, si non solum, dirigenda est. Hoc consilio, quando is habitus evidens est, nihil paenes medicum magis est, quam eum delere. Ubi latet aut non facile cernitur, eum tamen subesse causae ejus suadebunt. Causarum ejus praecipua caro est; remedium, xiv saltem dies ante datum morbum, carnis abstinencia; quemadmodum ab oleo et lacte, alentissima apud eos cibi materia, Indi jam relati idem temporis spatium abstinent. Alterum remedium est primarum viarum purgatio lenior, quam adversus irritamenta a cruditate aut aliis hujus loci noxis bonam esse non inficiandum est. Quo parum contenti insitores, plus agitantes, saepius et vehementius alvum purgant. Quod una cum abstinencia carnis, ad corpus attenuandum et habitum phlogisticum tollendum, multum posse, et forsitan recte fieri, contendimus. Haec praeparatio magno saepe usui est. Arcana vero Suttonianorum eo nulla esse videtur, quod aperta aliorum parem fructum adfert. Quod si, ut credibile est, arcana remedia mercurius et antimonium sunt, illud, quod ob periculum ejus magna dose tractari non potest, parva datum corpus non mutare, solumque ad alvum purgandum et alia purgantia adjuvanda, vel vermes, si quando hi in-

tus



tus agentes nocent, necandos, valere quibit. Quae commoda aequae ab aliis purgantibus impetrabilia sunt. Et adversus vermes ut profit, non satis dari solet. Item, licet antimonium perspirationem sustineat, impetum in summum corpus dirigat, et spasmus febrilem imminuat; tamen ea commoda a vii vel viii grani parte oriri posse non est credendum.

### A E R F R I G I D U S

Summum commodum est, quod nova inferendi ratio attulit, et reliquis omnibus majus. Estque hoc novorum infitorum curationibus proprium. Licet enim post Sydenhamum magnum, prae pernicioso, qui ante adhibitus erat, calore frigus, cum in aliorum morborum, tum in hujus curatione, multum pertractatum videatur; soli tamen empirici, de quibus sermo est, usum frigoris ad summum et incredibili cum felicitate extulerunt. Vel maxima frigora hiberna seminudi pueri non impune solum, sed cum miro fructu, perferunt. Ut ideo non ratiocinandum, sed rei verae cedendum et acquiescendum sit. Unus in hac re scrupulus videatur esse, quod saepe, ubi pustulae paulo



paulo numerosiores sunt, constringuntur fauces, angina supervenit, profluitque saliva. Quae ubi fiunt, frigidus aër et potio frigida aliena esse credantur; et e contrario tepida potio convenire, quae et saepe re vera profuit. Sed, si quis ab initio frigidis potionibus affueverit, is hoc quoque tempore illas impune perferre saepe repertus est. Quod praeceptum perpetuumne sit, an non, experimentorum fidei relinquendum est.

Haec sunt omnia, quae mihi nota sunt, insitionis magis aut minus commoda. Quorum nonnulla per se, si minus valere videantur, universa tamen quicquid boni insitio dat, id omne possident.

### VARIOLÆ SPONTANÆ CURATIO.

Ut variola sponte naturae, ante pustularum exitum, non pro certo dignoscitur; ita, ubi quis sit morbus ambigitur, ad febris naturam dirigenda est curatio, quae, quoniam ut plurimum synocha est, sanguinis detractionem, supraque et leniter infra purgationem, saltem si paulo vehementior est, requirit.

Sanguinis detractio, quae perpetua apud Sydenhamum fuit, post id a plerisque, ut impetum



a summo corpore avocans, et exitum pustularum impediens, damnata, sed male, est. Nam, licet infitionis bona eam in infitiva variola parum necessariam reddant; cum tamen pleraque haec bona in spontanea defint, cujusmodi est hominis et anni temporis delectus, causarum nocentium vitatio, corporis praeparatio, et ob id febris vehementior esse possit, ad huic, ubi gravior videtur, moderandum, praesertim in junioribus et plenioribus habitibus, detrahendus sane sanguis est. Quam rem infitorum curationes confirmant, quippe qui omnia quae vim corporis imminuunt praecipue pertractent. Ad quod nihil sanguine misso potentius est. Exitum autem pustularum sic impediri, ut saepius jam dixi, falsum et vanum est. Quod ita dico, ut si febris lenior et plenitudinis aut habitus phlogistici signa defunt, supervacuum hoc remedium concedam.

Vomitus, licet in infitiva variola, ob alia ei propria commoda, omittatur; tamen, ut in febribus quibuscvis, ita in hac remedio est. Primas enim vias detergere, et cruditatibus liberare, in quavis febre bonum est. Sed alia commoda vomitus dat. Ad summum corpus humores percitando, spasmus solvit, accessionem frigoris praecidit, et sic constrictione materiam variolosam in cute deti-



detinente soluta, pustularum numerum, expedito exitu, imminuit. Nec vomitus plenus, sed et nauseans, convenit. In hac re suum usum habet tartarum emeticum \*.

Haec, ad febrem ante pustularum exitum imminuendam, communior fere curatio est. Sed

Eodem hoc morbi tempore symptoma quoddam, pueris saepe incidens, medicinam propriam sibi vindicat. Id epilepsia est. Cujus accessiones, quando leviores sunt, semelque tantum aut bis, interposito temporis intervallo, repetunt, nihil mali indicant, contra bonum eventum promittunt. Eaedem, graviores et crebrius repetentes, saepe sunt exitio. Adeoque plerique puerorum, qui insitivo morbo perierunt, iis interempti sunt. Contra eas sanguinis detractio et vesicatoria haecenus sunt tractata. Quorum illa, ut accessionum, quae minus crebrae sunt, vehementiae moderari quidem potest, ita adversus crebras eo minus valet, quod, toties tractari, quoties eae redeunt, sine has augendi periculo non potest. Vesicatoria, si satis matura actio eorum fuerit, efficaciora erunt. Ubi ea fera est, alio remedio opus est. Hac in re Sydenhamus ad opium decurrit, cujus, deinde inter-

\* Cui. l. rel.



termiffi, ufum nonnulli larga dofe felicem nuper experti funt.

Postquam puftulae jam prodierunt, fi eae pauciores funt, nempe non amplius quinquaginta vultum occupant, neque regimine, neque remediis, tantummodo aëre frigido, opus eft, et actio-  
fae Suttonianorum purgationes non fine maleficio dantur. Contra, fi numerosae puftulae funt, licet fint discretæ, aëris frigidi plus, tenuior ufque victus, neque laxa fola fed validiffime purgata alvus, requiruntur. In variola leni fed numerosis puftulis, et febre quinto die foluta, hoc die et vii, et hinc ufque ad xi, quo die fuppurationio finitur, multum doloris a magna fuppuratione, multumque viii et ix pruritus fuboriuntur. Unde et vigiliae et novae febris periculum imminet : Ubi hoc fit, fenfibilitatem imminuendo, obviam malo eundum eft. Huic rei aptum remedium opium eft. Quod fi, ut fit, ejus actio alvum forte aſtrinxerit, quae res anginam et febrem auget, ei incommodo glyſteribus occurrendum eft. Neque metui eſſe debet hoc remedium. Nam, licet febrem fynocham et habitum inflammatorium opium manifeſte augeat ; tamen, finita jam inflammatione, opium, fomnum et quietem



quietem conciliando, suppurationem expedit. Quantumvis enim inflammationibus noxae fit opium, tamen in nonnullis, ubi aliqua irritatio est morbum exasperans, ut in catarrho et forsan in ipsa peripneumonia, et in morbis ubi communis universo corpori irritatio est, ut in variola et exanthematis fit, opium quicquid mali infert amplissime pensat. Sed, praeter hunc morbi statum, cum saepe in putredinem inclinet morbus, ideoque magna debilitas urgeat; ut cardiacis et tonicis, ita, inter ea, opio usus saepenumero erit. Alterutro hoc consilio Sydenhamius largius in variola opium adhibuit\*. Verique simile est, in omnibus casibus, ubi periculum intentatur, idem remedio esse, et nos timoris, non erroris Sydenhamum, arguendos.

Cortex Peruvianus, qui in confluyente variola efficax remedium nuper est repertus, id boni praestare, suppurationem expediendo, existimatur. Quae opinio falsa ratione recepta est, et ad magnam atque etiam periculosam in curatione fallaciam ducit; cortex enim Peruvianus, non quia suppurationem promovet, remedio est; quippe quae variolae quidem pars necessario est, quod ante dicta et explicata satis ostendunt. Et, licet, ubi prodeunt pustulae, eas suppurari debere,

F

corti-

\* Syd.



corticemque, si id opus adjuvet, prodesse, concedamus; tamen corticem suppurationem afficere negamus. Nam neque tumorem inflammatorium in suppurationem vertit, neque, resolutionem spectanti, necessariam mutationem efficit. Recta igitur ut suppurationis causa non est, ita eventu eam juvat; idque, debitum vasorum tonum, quae res suppurationi necessaria est, restituendo, facit. Quando igitur tonus deficit, et gangraenae periculum subest, cortex Peruvianus, tono restituto, et gangraenae summo periculo, suppurationis negotium promovet. Unde apparet, hoc remedium in omnibus, ut factum est, casibus non fuisse usurpandum. Quippe enim in discreta variola, ubi vulgo satis superque inflammationis est, ut, si quid periculi est, id ab ejus excessu sit, et ubi inflammatio nunquam non recte procedit, cortex non solum nihil proderit, sed, habitum inflammationis augendo, nocebit. Rejiciendus igitur ejus usus undique e variola, nisi ex hac confluenta, est.

F E.



## FEBRIS SECUNDARIA.

Ubi febris, quae secunda aut secundaria dicitur, supervenit, ei, si inflammatoria est, supra dicta adversus hanc conveniunt; et hic maxime alvum purgantia. Quae utique curam maximam tum demum requirit, cum typhodes aut putrida est. Cum ejusmodi naturae febris est, alvum purgantia hic quoque et cortex Peruvianus auxilium, si quid aliud, promittunt. Illa adversus viscerum congestiones, quae toties febres putridas comitantur, usui sunt. Sed, quia debilitatem augere periclitantur, cavendum ab earum excessu est. Satisque plerumque erit apertam alvum servasse. Ultra id omnis curatio cortici Peruviano credenda est: Nam hoc tempore opio non aliter opus est, quam ut ne subita ejus intermissio, si haecenus ei aegrotans affueverit, incommodi aliquid inferat.

F I N I S.



## FEBRIS SECUNDARIA.

Ubi febris, quæ secunda aut secundaria dicitur, supervenit, ei, si instans tota est, supra dicta febris hanc convalescentiam; et hic maxime aliam purpuram. Quæ utique curam maximam tum demum rependit, cum typus aut putrida est. Cum quibusdam naturæ febres est, sixum purpuræ hic quod et cortex. Periculis maxime, si quid aliud, præcedunt. Illa advertebat, utique convalescentiam, quæ toties febres putridas convalescentiam, utique febres, quæ debilitatem augere periculis, cavendum ab eorum excessu est. Namque purpuræ est æquum alium febris. Ubi si omnis crasso cortici Peruviano erigenda est; Nam hoc tempore opio non aliter opus est, quam ut ne iudicium quæ intermissio, si hæc non ei arguta allueverit, incommodi aliquid inferat.